



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

An Catholici Iudæos imitentur dum se patrum Ecclesiam tueri dicunt?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Quia tamen etiam peccatori gratia sufficiens offertur ad eam accipiendam, liber est, ut possit si velit, conuertere. & de ciuit. l. 14. c. 11. Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vitio, peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit: si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Idem de peccat. meritis & remiss. l. 2. cap. 6. & liberum probat arbitrium,

Verè liberè est arbitrium.

& à qua dominatione liberentur ostendit. In hac quaeritur à propositione questionum si à me queratur, vtrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam & liberum eius arbitrium: ipsum quoque, liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum ut sit, verum etiam ut bonum sit: id est, ad facienda mandata Domini conuertatur, atque ita Dei gratia non solum ostendat quid faciendum sit, sed adiuet etiam ut possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus? Vnde & Hieremias dicit, scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos. Hinc & in Psalmis cum quidam dixisset Deo, Tu precepisti mandata tua custodiri nimis: continuo non de se presumpsit, sed optauit ut faceret. Vtinam, inquit, dirigantur via mea ad custodiendas inquisitiones tuas. tunc non confundar, dum in spiritu in omnia mandata tua. Quis autem optat quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adiumento?

Tertullianus de penitentia c. 6. Quis enim seruum postea cum libertate mutatus est, furta sua, & fugam sibi impunitat? Quis miles postquam castris suis est emissus, pro notis iuis fatigat?

§. 2. Admonet etiam filios non esse nisi per filium. Ideo ne heredes. Seruicium in domo non manent in æternum: à filiorum enim consortio excluduntur. Venduntur enim pecorum instar, & ut mancipia reijcicula crebro exponuntur. Reprobationem eorum Christus manifesto indicat; id enim etiam à Prophetis prædictum: Osee. 9. Propter malitiam alimentorum eorum eijciam eos de domo mea, nec addam ut diligam eos. Sic & Amos. c. 5. Quin & Iudæi existimant, tertium illis redditum in terram Israel non esse concedendum. In libro יבמות Iebamoth libro fratruum. c. פקדתי terra. illud perpetuum exilium, sine spe reditus per scriptum est. Traditum est, inquit, in libro פקדתי פקדתי seder ghola. Id est: ordinis mundi. Scriptum esse Deut. 30. Et introducet te Dominus Deus tuus in terram quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Possessio namque prima, & secunda fuit eis, tertia non erit. Dixit R. Iohanan. Hæc illi de sua terra, à qua eieci sunt magnis calamitatibus primum afflicti. Sed illa eieccio reprobationis solum fuit. Cum peccatorum ergo serui vere essent, & semen Abrahamæ, non secundum fidem, sed secundum carnem Gal. 4. 29. hinc Saluatorem occidere tentauerunt. Exprobrat illis & Iustinus, Dialogo contra Tryphonem. Non modo quod contra Christum, & Apostolos sæuissent, sed etiam quod suo tempore cum occasio esset, Christianos affligerent, manentque in hodiernum diem eadem illa in Christianos odia.

Iudæorum reieccio.

Profelytorum malitia.

Idem etiam pag. 244. Etiam profelytos eorum impios dicit. οἱ ἡθεοσυλοὶ οὐ μόνον, ἀλλ' οἱ ἀπὸ τῆς ἐπιτοῦν ὁμῶν βλασφημῶσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἡμᾶς εἰς ἰκέρων μεθ' ὧν καὶ φονεῖν καὶ ἀνιζεν βέλονται. Profelytyri vero non solum non credunt, sed duplum, quam vos blasphemant, nomen eius & nos, qui in eum credimus, & occidere & cruciare volunt. Mansit igitur & hoc parricidale odium in Iudæorum etiam posteris.

QVÆSTIO II.

An Catholici Iudæos imitentur dum se patrum Ecclesiam tueri dicunt?

§. 1. Caluinus Iudæos Abrahamæ semen iactantes & Catholicos patres ac veterem Ecclesiam fidei suæ matricem dicentes: eodem loco habet. in-

quit. p. 108. [Quemadmodum hodie cōtinua à patribus luccellio papistas inflat, & plufquam turgidos reddidit. Nam per quasque circumeant ambages, nunquam tamen elabi poterunt, quin hac sola constantia efferantur. Nos in sanctis patribus succellimus, ergo sumus Ecclesia. Quod si refellendis Iudæis valuit Christi responsum, non minus ad istos conuincendos sufficit.]

Respondeo: Vanam esse, nec sibi coherentem comparationem. Iudæi de carnali generatione loquebantur; hoc est in carne gloriabantur, ideoque se Deo caros & electos arbitrabantur. Cum tamen certo ipsis demonstraretur, non modo Abrahami multos filios à Deo reiectos, sed etiam Isaac, & Iacobi, deberentque ex eo certo cognoscere, virtute, fide, gratia, non sanguine & carne amicitiam Dei constare. At nemo Catholicorum ex generis propagatione salutem suam æstimat, sed germanitate fidei, & cognitione virtutum. Degenere filios pro spuris habemus, non ergo nos dominus coarguit, sed Iudæos, qui longe alio modo de maioribus gloriabantur.

Deinde ex vtero se illi sanctos putauerunt, at nos quantumuis nascamur sanctis parentibus, in peccato tamen & concipimur, & in lucem prodimus, ante damnati, quam nati: qua damnatione per Iesu Christi sanguinem eripimur, mundati lauacro vitæ, & albat in sanguine agni. Addit Caluinus Catholicos ideo Ecclesiam Dei esse se contendere, quod originem ducant à patribus. Omnino igitur stolidi est ratiocinatio Caluini, qua contendit, eodem Christi responso nos & Iudæos confutari, cum non eodem modo gloriemur. Illi generis nobilitate ex Abraham, nos fidei cōiunctione cum Apostolis & Apostolorum successore, eodem fidei gloriamur. Eisdem scripturas, scripturasque sentum, ritumque fidei symbola, sacramenta, caerimonias, tenemus, successione, & feriem pastorum non carnis propinquitate, sed omnibus gentibus doctrinam sine interruptione continuam ostendimus. Hæc gloria est Ecclesiæ, quæ non euaenatur. Hac vsus est olim contra Hæreticos, & præscripsit Tertullianus, Augustinus, Fulgentius, eorumque posteris; si nos erramus, ante nos igitur tot Episcopi, tot martyres, tot Ecclesiæ errant, si illi & illæ tot errant, sine causa martyria fecerunt, à Deo decepti sunt. Eorum nos successio non inflat, nec turgidos, sed cautos facit, & humiliat, ne nouis nos doctrinis à patrum fide abduci sinamus, aut plufquam humana superbia, tot confessorum, martyrumque fidem damnemus. Quod faciunt Scetarij; talibus enim eos ludit præstigijs Satan, ut Deum à verbo, verbum Dei ab Ecclesia, literam à sensu, Ecclesiam à fide, fidem à doctrina, regnum cælorum à Spiritu, totam antiquitatem à Deo separent, suis reformationibus omnia tribuant. Vnum atque vnicum scripturarum sensum verum existimēt, quem priuato entusiasmo conceperūt, quo agi totum mundū oportere imaginantur.

§. 2. Nec vero sola nos hac iactantia efferantur: vt dicamus: Nos sanctis patribus succellimus, ergo sumus Ecclesia. Non est elationis hoc sacramentum sed modestie. Caluiniani nunquam elabi poterunt per quasque ambages circumeant, quin stolidi gloriatione efferantur. Nos solis autem Apostolis, nullis Patribus succellimus, soli verum scripturæ sensum, quæ omnes Patres ignorauerunt, postliminio restituumus. Nulla successio, sed priuata Spiritus instructio non fecit Christianos, fidei & scripturarum intelligentes. Edidit ante non multos annos Plores Flaminius Fredericus Braunbomus, & vt hanc Catholicis gloriatiōnem auferret, Omnes Pontifices Romanos finxit Antichristos, omnes diuinos sibi honores quæfisse calamitatos pag. 103. Linum facit Pseudopapam.

Vt ostendi libro de extremo Iudicii die.

§. 3. Osten-

ADAMI CONZEN  
117  
+ Euangelio  
CVI  
134

VERSUS 37. & seq.

Scio quia filij Abrahæ estis: sed queritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus apud patrem viderit, qua facit?

§. i. Chrysostr. ea vidisse, quæ facienda apud patrem, quod eiusdem cum patre substantiæ æternus esset Deus. Quæmadmodum, inquit, ego & verbum & re ostendo patrem, ita & vos: non enim eiusdem tantum sum cum patre substantia, sed & veritate.

Prorsus igitur omni modo, omnia patris vidit, cum ipse quoque ea quæ facit pater filius similiter fecerit. Econtrario impio apud patrem suum vidisse alia, quæ faceret, quæ enim mundus agit, à demone impulsus, illi faciebant. Suam igitur doctrinam comprobatur, quod à Deo procedat, eorum arguit opera mali spiritus in finitum fieri, obicitque illis, quasi domesticum cum demone consortium, & familiaritatem, solent enim filij patrum facta emulati, & facilius deteriora. Quidam legunt, Facite, Græcum mōi te amicum est. Quædam exemplaria pro eū egiuāle vidistis, habent: ἡρώδης, eodem tamen sensu, utrumque enim ponitur pro cognoscere. Chrysostr. legit ἡρώδης, audistis.

§. 2. Alii quasi de Abrahamo gloriantur, & id agere se simulant, quod ille docuit. Vrgent autem eum esse patrem: ideo quod Christus obiecit, eos apud patrem suum vidisse mala, quæ facerent. Et sanè plurima impia viderant, abominationes multas, & horribiles, quas omnes tamen Christus eorum patri diabolo tribuit. Eorum igitur qui in deserto, qui in terra Israel peccarunt opera fecerunt, non Abrahami: nec igitur Abrahami filii. Græca variant. alii codices habent. Ἐν τῷ αὐτῷ ἀποστόλῳ ἡμεῖς τὰ ἐργα τῷ ἀποστόλῳ ἐποιήσαμεν. alii ἐποιήσατε αὐτῷ. Verum idem est sensus. Superbe igitur resistentes illis, nec de mediis patribus idolorum cultoribus cogitationem suscipientibus, iterum obicit. Vos facitis opera patris vestri, quem paulo post nominaturus est.

VERSUS 42. & 43.

Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset: diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

QVÆSTIO I.

Quomodo probet ex Deo eos non esse?

§. i. CONCLVDIT DEVM non esse eorum patrem, quod filium illi non diligant, qui ex Deo processit. Hanc alii processionem ad diuinam, alii ad humanam naturam referunt. Alii quos magis probo ad utramque. Perique tamen æternam processionem inde probant, qua vna persona ab alia emanat, de qua re. cap. i.

3, 3. Ostendi veram esse nostram de consensu cum patribus in fide gloriationem: nunc conuincendi sunt Caluiniani, ac demonsttrandum, ad eos Christi obiurgationem pertinere. Christus probat eos filios Abrahæ non esse, eo quod opera Abrahæ non faciant. Nec de sola fide disputat, sed operibus Abrahæ. Caluinus eos censerit inter Abrahæ filios negat, qui fide gratiam ad optionis non retinent, perspicua deprauatione, cum opera Christus querat. Sed nouam tamen creaturam requirit etiam ipse Caluinus, quæ sine dilectione nulla est. Vti ergo est eorum contumacissima præsumptio, qui sola fide nitantur? qui opera necessaria negant? Non sunt filii Abrahæ, ideo nec filii Dei, nisi qui opera Abrahæ tenent. Quid igitur si quis dicat, opera Abrahæ esse facti impossibilia? Quid si omnia opera Abrahæ esse mortalia peccata? Vt nunque tamen illa fingantur, nobis tenendum est. Nullum, quamcumque fidem profiteatur, filium esse Abrahæ nisi opera etiam Abrahæ faciat; nulla enim, professio, nulla fides, nullum fœdus, impium, dum in peccatis perseuerat, Deo gratum efficit: quocirca nemo eorum quos Caluinus pro iustis habet, filius est Abrahæ. Nam eorum iustitiæ imputatæ grauiæ & horrenda scelera non repugnant: Fures, adulteri, non sunt filii Abrahæ, non enim opera Abrahæ faciunt. At fures & adulteri ex Caluinianorum opinione fidem & iustitiam per illa flagitia non amittunt, sed retinent: & imputatiue iustitiam, non ergo sunt filii Abrahæ. De his queritur quod sermo eius non capiat in eis, sed quod non capiatur ab eis causa est. Malitia etenim excoecati sermonem non capiebant, quod Syrus expressit, cum negat esse Ἰσραὴλ Saphkin sufficientes sermoni capiendo. Ideoque & seruli ingenio esse, miserisque, qui nec ingenio suo, nec peculio in libertatem alseri possunt, nisi eos filius familias manumittat: nulla enim extra Christum est libertas. Cum igitur in operibus iniustitiæ hæreat Scetarii, palamque profiteantur se opera Abrahæ non posse facere, hoc ipso proclamant se venundatos esse ut malum faciant, nec à filio liberatos. Filius enim solus liberat, Theop. p. 467. εὐαγγέλιον ἐν οἱ ἱερῆς οἱ ἡμέτεροι δόλοι ὄντες, οὐκ εἶχον ἐξοικτῶν ἀδικεῖναι, ὃ ἡ ὑπὸς ἐργῶν ἡρώδων ἐν τῇ αἰκίᾳ, τῆς ἐξουσίας Φαρισαίων, καὶ τῆς ἑρμητικῆς αὐθεντίας, καὶ οἰκονομίας ἀποστόλου ὡν, ἐλθὼν ἰσραὴλ ἡμῶν χαλεποῖται, πάντες ὅσοι ἐμὰ ἐστὶν, καὶ οἰκονομίας καὶ ἐμῆς καὶ οἰκονομίας τῶ πατρὸς, καὶ ἐάν ἐργῶν ἐλθὼν ἰσραὴλ, ὅτι τῇ ἀληθείᾳ ἐλθὼν ἰσραὴλ ἡμῶν ἡμεῖς, αὐτὸν ἡμεῖς φερόμεν ἐλθὼν ἰσραὴλ ἐκ αὐτοῖς ἀποφασίζετε. ὅπως ἡ καὶ ἀληθείας ἐλθὼν ἰσραὴλ περὶ ἐμῶν ἐστὶν. Hoc est: Illi quidem sacerdotes vestri cum serui essent, non habebant potestatem dimittendi: Ego vero filius manens in domo, (dico) potestatem, & principali auctoritate, & Dominus domus existens libertatem vobis ex gratia confero. omnia enim mea sunt, & vnus cum patre sum potentia, & potestatis. Et si ego vos liberaro, tunc veram libertatem honorabimini, qui nunc falsam libertatem vobis arrogatis. Re ipsa, & vere libeti ex meritis.

Quin etiam rectè Irenæus docet, non liberari eos, qui Deum non cognoscunt. l. 3. cap. 21. Rusus qui nudum tantum hominem, cum dicitur ex Ioseph generatum, perseuerantes in seruitute pristina inobedientie moriuntur, nondum commissum verbum Dei patris, neque per filium percipientes libertatem, quemadmodum ipse ait, si filius pos manumiserit, vere liberi eritis.

Et Theodoretus cum Epiphantio, Tertulliano, caritatisque contra Carpocratem & posteros illius hoc dicto vruntur: Liberare enim illius est, cuius seruus est, qui Dominus est, non autem conseruus potest conseruo libertatem impartiti.

Christiani  
distinguit  
iudicis.

Christiani  
eodem spe  
ritu cum  
Patris  
procedit  
sunt.